

14192
QVAESTIONES MISCELLAE, *Tobler*

PHYSICO-MATE-
TAPHYSICAE.

240753

Quas

Συὸ Θεῶ

PRÆSID

Viro Clarissimo, Excellentissimo

DN. IOH. RODOLPHO GIGERO,
Medicinæ Doctore, Philosophiæ naturalis Pro-
fessore, Inclytæque Tigurinorum Reipubl.
Poliatro celeberrimo, fautore suo ve-
neranter suspiciundo.

*Publicitus pensiculandas
sistit*

CASPARUS WESSIUS

*Ad diem 18. Maii An. 1654
à meridie ad vesperas*

Fabrica do fabri fima

TIGURI,

Typis JOH. HENRICI HAMBERGERI.

1654



*Generis, Virtutum, ac eruditionis nobilitate
florentissimis*

DN. JOH. RODOLPHO, & } WERDMILLERIS:
DN. BERNHARDO

*Nobilissimi, Strenuissimi, Fortissimi que
Viri*

DN. JOH. RODOLPHI WERDMILLERI,
Succorum quondam, Venetorumque Colonelli, Patriæ, &
Confœderatorum nuper militiæ Ducis, à Generali,
supremi, propatris mei honora-
tissimi,

Filiis perdilectis, amicis & fautoribus, omni officiorum,
& affectus genere prosequendis

Huncce ingenioli sui, studii que Philosophici fœtum,
gratitudinis, & candoris testandi
ergò,

*humili officio inscribit, &
offert*

Author & Respondens,
Φιλοσοφικῆς.



QVAESTIONES MISCELLAE
EX PHYSICA.

QUÆSTIO I.

*Quodnam sit objectum per se, adæquatum &
legitimum Physicæ?*



Vid verba quæris? Veritas odit moras, Romanæ sapientiæ scitum est; quare ἀρετὴ πρὸς ἐργασίαν ad rem. Ad enodandam hanc thesin sequentia prænotamus. I. Objectum per se, adæquatum alicujus disciplinæ, quod aliter vocatur objectum per se totale, & objectum per se primo, seu primarium, esse illud, quod terminat omnes actus proprios alicujus disciplinæ, & ad quod referuntur omnia, quæ tractantur in illa, vel tanquam principia & causæ, vel tanquam proprietates, vel tanquam species.

Dicimus II. Tale objectum esse considerandum, vel quoad formale, vel quoad materiale. Materiale nihil aliud est, quàm res considerata, quæ tractatur in disciplina; Formale est ipse modus considerandi. Cùm enim materiale alicujus disciplinæ possit esse commune cum aliis disciplinis, per modum illum considerandi, quem quævis disciplina habet proprium, res considerata, seu objectum illud materiale, ad hanc vel illam disciplinam determinatur, & fit alicujus disciplinæ proprium, sub illa ratione formali, sub qua illa objectum suum contempletur.

Dicimus III. Varios esse authores in assignando Physicæ objecto; omnem autem varietatem inter eos esse potius de voce, quàm verò de re ipsa, cùm quo ad rem ipsam omnino conveniant, & solum quantum ad modum explicandi, & dicendi dissentiant: Alii enim objectum legitimum Physicæ volunt Ens naturale, alii substantiam naturalem, alii Ens mobile, alii corpus mobile, quorum sententiam prolixiori tractu orationis persequitur Zabarella de Naturali scientiæ constitutione lib. I. cap. aliquot p. 3. 4. & sequentibus. Benedictus Pererius lib. II. de Philosophia naturali cap. I. p. 61. & seq. De Raonis præludiis Physicis sectione II. p. 29. fatentur enim omnes objectum illud esse id, quod vocamus corpus naturale, id est, quod in se habet principium motus & quietis, seu materiam & formam.

His prænotatis respondemus; objectum per se, adæquatum, & legitimum

Physicæ, complectens sub se materiale & formale, esse corpus naturale, quâ naturale. Cùm nempe in Physica, omnia quæ in illa tractantur, vel tanquam principia, & causæ, vel tanquam proprietates, vel tanquam species referantur ad corpus naturale, utique illud objectum per se adæquatum Physicæ nemo negabit.

Confirmatur hæc nostra assertio ex eo, quod hæc attributa, causæ, & proprietates, quæ in nulla alia disciplina, quàm in Physica, de subiecto demonstrantur, nulli alii rei tribui possunt per se, quàm corpori naturali, cùm enti tantùm conveniat per accidens, esse naturale, seu constare materia & forma, quatenus Ens per materiam & formam ad corpus naturale restringitur. Materia enim Physica seu sensibilis, & forma, quæ constituit naturam, & natura, quæ sola est principium intrinsecum motus & quietis, soli corpori competit; ac consequenter naturale, quod est formale seu ratio formalis objecti Physicæ, cùm soli corpori competat, utique solum corpus naturale adæquatum Physicæ subiectum seu objectum esse potest.

Theophilus Territus, in Philosophia sua Christiana, pag 95. 96. 97. 98. &c. Hoc objectum Physicæ dicit esse inadæquatum: quia illud sit objectum adæquatum Physicæ, cui primò, & per se, & reciprocè convenient proprietates primariæ, quæ demonstrantur in Physica, scilicet mobilitas & quiescibilitas intrinseca & sensibilis, at verò has proprietates reciprocari tantùm cum Ente naturali, non autem cum substantia, & corpore naturali: licet nempe omne corpus naturale sit intrinsecè mobile & quiescibile, non tamen quicquid est intrinsecè mobile & quiescibile esse corpus naturale; cùm qualitates Physicæ, ut calor, frigus, & aliæ, sint vera accidentia, & sint intrinsecè mobiles & quiescibiles; Cùm actionem imprimant potentiæ sensitivæ.

Verùm respondeo **I.** Objecto alicujus disciplinæ immediatè debere convenire proprietates, quæ explicantur in illa scientia, at proprietates objecti Physicæ non conveniunt immediatè Enti; quia Enti non conveniunt sub ratione Entis, sed tantùm sub ratione corporis, ut supra: Confirmatur: Si nempe illæ proprietates objecti Physicæ, causæ & principia, convenirent Enti, quâ Ens est, tum omne Ens esset mobile, quantum, materiatum, &c. At hoc absurdum; quærendum igitur est proprium aliud subiectum, cui per se & primò insit natura, & principium motus & quietis, & propter quod etiam competat aliis rebus; v. gr. in tabula substantiæ, quæ est ex Petro, Homine, Animali, vivente, corpore, substantia, & Ente, illud quod est infra corpus non propriè respondet v. gr. mobili, quoniam est angustius & minùs latè patens, cùm pluribus rebus competat mobilitas, quàm viventi, Animali, Homini, Petro, quæ tamen sub corpore in hac serie comprehenduntur: Illa autem quæ sunt supra corpus, latius patent quàm mobile, cùm non omne Ens sit mobile, in ratione Entis: ex quibus intelligitur, esse mobile, non esse conjungendum reciprocabiliter, cum illis, quæ sunt supra corpus, sicque non rectè statui objectum Physicæ Ens naturale, seu mobile.

Re.

Respondeo II. In probatione argumenti, committi fallaciam à non causa ut causa; Dicimus enim subjectum Physicæ esse corpus naturale, id est, quod habet principium motus & quietis, id est, materiam & formam, at verò accidentia illa, non habent materiam, & formam adeoque nec principium motus & quietis, sic non sunt mobilia, neque quiescibilia. Ad hæc objectum Physicæ, si debeat esse mobile, tum illæ qualitates, etiamsi actionem imprimant potentiæ sensitivæ, nec ita objectum Physicæ adæquatum, & objectum Demonstrationis esse possunt, cum objectum ejus non debeat esse movens, sed mobile; Res enim aliqua non est naturalis, quia movet, sed quia naturaliter movetur, cum natura definiatur esse causa, ut id, in quo inest, moveatur, & quiescat. Vide de hac materia Pererium libr. II de Philosophia Naturali p. 73. 75. Derodonem Phys. proœmio, artic. IV. Stierium proœmio Physicæ quæst. II. p. 2. plures alios.

QUÆSTIO II.

An materia prima habeat proprium actum Entitativum?

Si quæ in Philosophia opinio difficultatibus inextricabilibus ferè est involuta, ea est, quæ ceu *ædificium* pomum, de prima rerum materia in scholarum pulvere, non exiguos hætenus dedit motus, ut Conimbricenses ignorando eam cognosci, & cognoscendo ignorari liberè fateantur; Vt ita, quid illa propriè sit, difficillimū hætenus dictu fuerit, explicatuq; Hinc tot litigia de ejus existentia; an scil. existentiam ex sese habeat, an verò per formam? Negativæ quidem suos calculos addiderunt Thomas 1. part. q. 44. art. 2. ad 3. Conimbricenses actum omnem, etiam entitativum materiæ negant l. I. cap. IX. q. 3. Articulo I. p. 198. 199. Quibus sese agglomerat Zabarel. l. 2. de prima rerum materia capitibus aliquot, p. 177. & seq. Eis tamen sese opposuerunt; Scotus, & qui sub ejus nomine militant, Toletus lib. I. cap. 7. p. mibi 34. Pererius lib. V. cap. 13. p. m. 310. Quidam sententiam suam ex aliorum judiciis suspendunt, & cum in re à Scoto non dissident, modum tamen loquendi non probant; fatentur enim illi, materiam habere propriam, existentiam, distinctā ab existentia formæ, & consequenter docent materiam actu esse extra nihilum existentia; negant tamen dicendum esse actum entitativum, ob leviusculas rationes aliquas. Quorum tamen judicium Suarezius aliquantulum tolerandum putat, cum in re à veritatis tramite non deviet, sed tantum in modo loquendi. Vide Suarezium Disp. Metaph. XIII. pag. 286. & seq.

Nos ex labyrinthæis hisce contradicentium tricis facilè evasuros nos speramus, secuti filium, Christophori Scheibleri Metaph. p. 185. Davidis Derodonis, Physica cap. III. Articulo II. Danielis Stahlî Metaph. pag. 115. & 200. 201. Burgersdicii Colleg. Phys. Disp. II. p. 21. De Raconis Physica tractatu de principiis p. 602. Suarezii Disput. nominata p. 287. 288. Efficacissima etiam sunt ar-

gumenta, quibus ad hanc rem Scotus utitur 2. sent. distinct. 12. q. 1. & 2. quæ re-
lata sunt apud Zabarellam loco supra citato, ubi quæ Zabarella habet satis te-
nuia sunt.

In antecessum præsupponimus. I. Per existentiam nihil aliud intelligi,
quàm actum entitativum, seu existentem, & sic omne id, quod verè existit, esse
in actu entitativo: illud autem verè existere, juxta plerorumque sententiam,
quod est extra causas suas Quando nempe est adhuc in potentia ad fieri, seu pro-
duci, vocatur potentia objectiva, seu objectum potentia productivæ, cum
verò jam productum, & extra causas constitutum est, habet actum entitativum,
seu actum existentem, qui illi potentia objectivæ respondet, competitque omni
enti, quod est in rerum natura.

Dicimus II. Potentiam dici ex relatione ad actum, & actum ex relatione
ad potentiam: idem ergo esse quærere, utrum materia sit pura potentia Meta-
physica, ac quærere, utrum nullum actum Metaphysicum includat.

His præsuppositis cum tota Scotistarum turba dicimus, materiam non esse
puram potentiam in genere entis, seu actus Metaphysici, sed habere actum suum
entitativum à se ipsa, non à forma substantiali, esse verò in potentia ad actum for-
malem, ad quem est in potentia subjectiva, id quod sic probamus.

I. Quod dependet ab alio in esse & in conservari, illud ei, à quo dependet
non dat existentiam. Sed formæ omnes, excepta anima rationali, dependent in
esse & in conservari à materia: E. forma materia non dat existentiam. Major
certa est, cum conformius sit naturis rerum, ut subjecta & illa, à quibus res de-
pendent, & in quibus subjectantur, dependentibus dent existentiam, quàm vi-
cissim. Adde quod potius sequatur, subjecta habere propriam existentiam, cum
ordine naturæ ea antecedant, quæ ab ipsis dependent; & hoc ex ratione subjecti
facile colligitur, nam in primo subjecto, necessaria est realis potentia passiva, vel
potius ipsummet essentialiter est potentia passiva; non potest autem intelligi
potentia passiva realis, sine aliqua actualitate entitativa. Qualiter enim potest in-
telligi, quòd aliquid sit verè & realiter receptivum alterius, nisi in se aliquid sit.
Hinc ipse Thomas 1. parte, quæst. 46. artic. ait; Materiam non dici esse in poten-
tia, eo modo, quo dicitur esse in potentia Ens possibile, ex sola non repugnantia
terminorum; supponit ergò esse aliquod Ens actu fundans realem potentiam
passivam, vel quòd potius sit realis potentia passiva in genere substantiæ. Minor
quoque facile probatur ex eo, quòd formæ omnes, excepta animâ rationali, sint
materiales, seu tales, quæ in fieri, & esse à materia dependeant, & in hoc ipso con-
tradistinguantur animæ rationali, immateriali formæ, quæ ut est à materia se-
parabilis, ita propriam habet subsistentiam.

II. Si forma materia daret existentiam, tunc toties materia produceretur
de novo, & corrumpereetur, sicque mutaret existentiam, quoties novam for-
mam acquireret; quod necessariò dicendum à Thomistis, quia existentia materia,
si es-

si esset propria formæ, toties deberet mutari, quoties ipsa forma. Sed falsum & absurdum consequens, E & antecedens. Consequentiam probō; quia rem aliquam produci, est eam accipere existentiam E. Si per formam actu informantem, habet materia suam existentiam, sequitur quoties materia unam formam amittit, & aliam recipit, toties eam corrumpi, atq; ita desinere esse, in rerum natura, & de novo produci, sicque esse corruptibilem & non esse perpetuam. Antecedens probō; quia rem produci, est eam extra suas causas constitui, & eam corrumpi est desinere esse extra suas causas; E. Rem produci est eam accipere existentiam, & corrumpi, est eam amittere existentiam. Ratio consequentiæ, quia existentia est id, per quod res creata est formaliter extra suas causas.

Minor argumenti principalis probatur: quia ab Aristotelicis ipsis conceditur, à plerisque etiam melioris notæ Philosophis, materiam primam esse ingenerabilem & incorruptibilem, corruptibilitate scilicet Physica, eò quòd à nulla causa naturali in fieri dependeat, ac proinde nec in conservari, quæ intelligenda in esse reduplicativo. Adde quòd materia prima si sit corruptibilis corruptione Physica, debeat corrumpi per solam resolutionem, adeoque resolvi in aliam priorem materiam: sed hoc absurdum; sic nempe materia prima non foret prima, sicque fieret progressus in infinitum. Sed debet annihilari; at verò nihil potest annihilari, seu in nihilum positionis, seu existentia redigi à causa aliqua naturali, sed sola supernaturali, ac proinde corruptione Metaphysica. Concedimus materiam primam corruptibilitatem subjectivam, objectivam denegamus.

III. Materia egressa ex potentia objectiva accipit illico actum, qui absorbeat istam potentiam, estque ille actus existentia. At hic actus non convenit ei per formam, quia materia in ordine ad formam, est adhuc in pura potentia passiva. E. hunc actum materia habebit à se ipsa: A se ipsa, non removendo efficiens, sed removendo id, unde intrinsecè existat materia.

Confirmatur hoc argumentum ex duplici consideratione seu habentia materiae primæ, ante & post creationem; I. Consideratur ante creationem rerum, & sic ei nullus competit actus, nec formalis, nec entitativus, quia hoc modo in potentia objectiva est, cui opponitur actus entitativus. II. Consideratur post creationem, & sic tribuitur ei actus entitativus; post creationem, cum existit, & desinit esse in potentia objectiva, illi competit actus entitativus, siquidem actus entitativus complet potentiam objectivam, & hoc ipsum est, per quod desinit esse in potentia objectiva.

Objicit Zabarella lib. II. de prima rerum materia cap II. p. 182. Materiam non esse creatam tanquam rem quandam per se, & seorsim existentem, sed dicit potius esse concreatam, id est, creatam cum composito, & sub forma. Ex quo colligit nunquam fuisse in potentia objectiva seu objectum potentia creativa.

Verum respondeo I. Objectionem Zabarellæ petere τὸ ἐν ἀρχῇ; quia materia prima non potuit aliter fieri, quam per creationem, eò ipso, quòd facta sit

fit ex nihilo sui & subjecti: cum nempe sit materia prima, seu primum subiectum, non potest ex subiecto produci, supponeret namq; aliud subiectum, quod absurdum.

Respondeo II. Licet materia non per se, & seorsim, sed sub forma & composito sit creata, sequitur tamen esse creatam, non quidem ut terminum creationis totalem & completum, sed ut partialem & incompletum. Atque hinc negari non potest, eam fuisse in potentia objectiva (nam esse in potentia objectiva, nihil aliud importat, quam aliquid non esse, posse tamen esse, & fieri) quia jam est, & producta est, si non ut terminus productionis totalis, tamen ut partialis & incompletus.

Multum praesidii sibi quaerunt adversarii in distinctione reali essentiae & existentiae, quam tamen nos pernegamus. Vide theses Derodonis de universali in communi p. 52. Myllerum Metaph. p. 17. Burgersd. Metaph. p. 55. plures alios. Nos paucis ita dicimus: Antequam res essent factae erant in se revera nihil, erant enim in potentia objectiva: sed Ens in potentia objectiva, quatenus est in potentia objectiva ita distinguitur ab eo, quod actu est, ut nihil ab Ente distinguitur; Quando ergo creatura fit à Deo, existentia non additur essentiae, sed utraque simul producitur, sola enim ratione differunt. Si objicias, essentiam iis rebus tribui, quae adhuc sunt in potentia objectiva, atque adeo entia ea dici, saltem quatenus vox illa sumitur nominaliter, imò eodem modo entia dici, quo ea, quae jam existunt, ac proinde non esse nihil. Respondeo: negare me consequentiam; nam cum Ens dicitur de iis, quae non existunt actu, propositio vera est in sensu hypothetico, nihilque aliud significat, quam ista entia fore, cum existent, simili- que modo essentia iis ex hypothesi tribuitur: Concedo etiam, non posse dici nihil purum, sed tantum nihil essentiae, seu existentiae.

Non jam metuemus argumentum Thomistarum, in quo tanquam in nodo Gordio mirè triumphant; Materiam primam esse Ens puram potentiam. Respondemus namque, non simpliciter esse intelligendum, sed tantum respectu potentiae receptivae, quia est pura potentia receptiva, nullum includens de se actum formalem: quod optimè declaratur exemplo materiae rerum artificialium. Lignum v. gr. in se est actu corpus naturale: sed respectu formarum intraducendarum, est in mera potentia, quia ex se nullam habet actu, licet eas possit recipere. Et haec quidem haecenus.

QUAESTIO III.

*An unum numero corpus possit esse simul in pluribus locis,
& plura numero corpora in unico loco?*

Si quid unquam fuit, quod vel ipsum potuisset ad risum movere Heraclitum, hoc ipsum non immeritò censetur, quo viri, acuti caeteroquin iudicii, non-
nun-

nunquam cum bono dormire videntur Homero, ut pudeat, hodieque hanc controversiam sub συζητήσεως vocare incudem, vel hoc ipso nomine, quod ipsos quæstionis hujus auctores, illius nondum pudeat, quâ tamen ita adhuc dum cæcis judiciis delirant, ut malint perversas suas de theologia sacra opiniones asserturi, ipsa naturæ, & philosophiæ fanioris succutere fundamenta, quam veritati herbas porrigere. Nos totam controversiam paucis ita damus: Vnum numero corpus virtute naturali non posse esse simul in pluribus locis, adæquatis omnes unanimi consensu largiuntur. An verò id super naturaliter fieri possit, acerrimè in Scholis disputatur. Affirmativa quidem vindices habet Pontificios, idoli panificii propugnatores, existimantes unum numero corpus posse simul esse in pluribus locis adæquatis supernaturaliter, seu virtute Divina: Quam quidem sententiam, duobus superstruunt fundamentis, tam egregia, si DIs placet, nugatione dignis. 1. Quòd talis existentia unius corporis in pluribus locis non involvat contradictionem. 2. Quòd corpus Christi, sit in pluribus hostiis consecratis, atque adeò in pluribus locis; quibus quid stolidius conungi possit, ipso conjectore Oedippo vix videmus.

Nos cum omnibus Orthodoxis utrumque negamus, etiam supernaturaliter, idque non ex defectu Dei, sed ex defectu rei, quia scilicet ipsam unius corporis naturam, & corporalem præsentiam penitus subvertit. Et primò quidem, contra unius numero corporis *πλυτοπιαν* ita militamus. Quicquid involvit contradictionem, id ne quidem supernaturaliter esse potest. Sed idem numero corpus, esse simul in pluribus locis involvit contradictionem. Ergò idem numero corpus esse in pluribus locis simul, ne quidem supernaturaliter esse potest. Ratio majoris patet: quia illud, quod involvit contradictionem, seu prædicata contradictoria, est impossibile absolute, sine habitudine ad aliquam potentiam, ob repugnantiam terminorum, quæ repugnantia, cum nascatur ex aliqua oppositione, & in omni oppositione includatur affirmatio & negatio, esse & non esse, sequitur impossibile absolute dictum esse illud, quod includit simul esse, & non esse, id est, quod includit & implicat contradictionem; ut hominem non esse animal rationale; quæ autem implicat contradictionem, sunt absolute impossibilia, & potentiæ nulli subjiciuntur; quare dicendum est, illud esse objectum potentiæ Divinæ, quod est possibile, ex habitudine terminorum, id est, quod repugnantiam & contradictionem non involvit, quæ nempe sunt absolute possibilia, possunt fieri ex parte ipsorum, nisi sit defectus aliquis in causa, seu potentia activa, at in potentia Dei nullus est defectus, cum sit infinitæ perfectionis: impossibilia verò ex repugnantia terminorum, non subjiciuntur Divinæ potentiæ, quia impossibilia Logica, nullius potentiæ sunt objectum, nedum Divinæ, & hoc, ut dictum supra, non ex defectu Dei, quod cogitare blasphemum, sed ex defectu rei. Impossibilia nempe talia, fieri nequeunt, quia esse nequeunt,

cum in suo esse ipsum non esse includant. Vnde acutissimi Derodonis iudicio, quæ implicant contradictionem, melius dicuntur fieri non posse, quam dicere, Deum ea facere non posse. Vide Derodonem Pneumatica cap. II. Articulo X. idem planè iudicium cum Derodone est Golæi, ex duplici ratione, Exercitat. p. 66.

Minor probatur: quod destruit naturam unius corporis, illud de uno corpore affirmatum involvit contradictionem: sed *πλυτοπία* unius corporis, unius corporis destruit naturam. Ergo unum numero corpus esse in pluribus locis involvit contradictionem. Major constat: Minor probatur de destructione Logica hoc modo: Quicquid unum corpus dicit non unum, illud unius corporis destruit naturam. Sed *πλυτοπία* unius corporis, unum corpus dicit non unum. E. &c. Majoris veritas patet: Minor probatur: Quicquid unum numero corpus dicit à se ipso divisum, illud unum corpus dicit non unum. Sed *πλυτοπία* unius corporis, unum numero corpus dicit à se ipso divisum. Ergo &c. Major constat quia unum est, quod est indivisum in se, & à se; quicquid ergo dicit unum esse à se divisum, illud unum corpus dicit non unum; unum quidem in hypothese, non unum verò ex consequentia. Minor: quia unum corpus, dico ita ex hypothese adversariorum, non potest esse simul in pluribus locis sine divisione, & distantia à se ipso.

Hic quidem latibula quærunt Adversarii in quibusdam nullius momenti distinctionibus, quas tamen non magis, quam è pelvi fulmina metuimus, quippe quibus ne hilum proficiunt. Vide Physicam Derodonis part. I. tract. II. cap. II. Golæi Exercitat. p. 212. Burgersdicii Collegium physicum, p. 56.

Quid de ubiuitate corporis Christi sentiendum sit, scholis Theologorum relinquimus decidendum; nobis idem de eo est iudicium; qui præsentiam corporis Christi realem in Cœna negamus, & pernegamus, præsentiam tantum sacramentalem & spirituales agnoscentes. Vide Censuram ubiuitatis, seu confutationem argumentorum ubiuitariorum, M. Iohannis Lampadii; Metaphysicam Clarissimi D. Virzii nostri cap. XVI.

II. Plurium numero corporum *μονοτοπία* similiter ut nugacem, & sacræ Scripturæ, saniorique Philosophiæ injuriam negamus, unico hoc argumento: quod *μονοτοπία* plurium numero corporum statuat corporum penetrationem, quam nos impossibilem asserimus, cum destruat naturam quantitatis, quæ requirit habentiam partis extra partem, seu positionem partium loco & spatio disitam. Quid interea de inepta Iesuitarum, in extensionem internam & externam cantilena sentiendum, doctissimè ostendunt: Derodon thesibus de quantitate; item Physicæ part. I. tract. II. cap. II. Articulo III. Burgersd.

Colleg. Phys. p. 54.

EX METAPHYSICA.

QUÆSTIO I.

An Ens respectu Dei, & creaturæ, substantiæ & accidentis sit univocum?

Pendet hæc quæstio verè ex alia, quæ inter literatos hodierno die ita agitari solet: An Ens habeat unum conceptum formalem, & unum conceptum objectivum, cujus nos affirmativam tuemur. Quid sit Entis conceptus formalis & objectivus, vide apud Suarezium Disp. Metaph. II. pag. 45. 46. Agnoscimus nos unum conceptum objectivum Entis, non tamen realiter unum unitate propriè dicta, sed tantùm unitate similitudinis, & conformitatis, cum realiter dicat omnia Entia, omnia autem Entia sunt plura, licèt conveniant in ratione Entis, attamen iste conceptus non est realiter præcisus à propriis rationibus inferiorum, puta Dei & creaturæ, substantiæ & accidentis, quia de iis affirmativè prædicatur. Ex hoc multi opinantur, quòd Ens habeat unum conceptum formalem, & propriè dictum, qui quodlibet Ens inadæquatè repræsentet, & unum conceptum objectivum, unitate saltem conformitatis, Ens esse purè univocum, ut ita unum tantùm omnium prædicamentum exsculpant, inter quos sunt, Scotus, in 2. sent. dist. 3. quæst. 1. & 3. cum omnibus suis discipulis. De Raconis, Philosophus Galus, Log. tractat. II. Quæst. II. artic. II. p. 178. Rodericus de Arriaga. Disput. Log. XI. p. 136. &c.

Nos paucis ita rem explicamus. Dicimus I. Univocum esse vel univocans, vel univocatum. Univocum univocans est natura superior, quæ est pluribus communis, sub una & eadem ratione, & indifferenter ea respicit. Univocum univocatum, dicitur unumquodque ex illis, quibus prædicta natura superior est communis.

Dicimus II. Illam rationem tantùm eandem dici, quæ indifferenter respicit ea, quibus est communis, & æqualiter prædicatur de singulis, sine dependentia essentiali unius ab alio. Vnde ratio significata per nomen analogum, non est eadem simpliciter, sed partim eadem, partim diversa. Eadem quidem, quatenus communis, diversa, quia non est indifferenter communis, & quia non convenit æqualiter ipsis, quibus est communis, quatenus participant nomen significans naturam communem.

Dicimus III. Univoca etiam à Philosophis distingui in Physica, Metaphysica, & Logica. Physica, quæ æqualiter participant naturam communem, adeò ut eam nõ contrahant perfectiori differentia, sed æquali, ut individua respectu speciei. Metaphysica, quæ inæqualiter participant naturam communem, adeò ut per perfectiorem & imperfectiorè differentiam eam contrahant, sine dependen-

dentia tamen unius ab altero, ut species resp. generis, puta homo & equus resp. animalis, quæ univoca Metaphysica ab aliis dicuntur analoga physica, & analogia inæqualitatis. Logica, quæ participant naturam communem cum dependentia unius inferioris ab alio, sic Deus & creatura possunt dici univoca Logica resp. Entis. Hæc autem univoca Logica, aliter dicuntur Analogia Metaphysica. Vide Derodonem.

Dicimus IV. Analogia etiam eadem ratione à Philosophis distingui in Physica, & Metaphysica. Physica coincidunt cum univocis Metaphysicis, atque adeò sunt genera respectu specierum; Analogia Metaphysica coincidunt cum univocis purè logicis, qualia sunt transcendentia, quibus alii addunt Analogia Logica, quæ coincidunt cum analogis extrinsecis.

Dicimus V. Analogia etiam à Philosophis dividi in intrinseca, & extrinseca. Intrinseca, in quibus omnibus ratio analogia reperitur propriè actu & formaliter, cum dependentia tamen essentiali unius ab alio, ut Ens resp. Dei & creaturæ, substantiæ, & accidentis. Extrinseca verò sunt, quando ratio analogia reperitur propriè actu & formaliter in uno, scilicet in primario analogato, in aliis verò impropriè tantum, ut sanum quod convenit propriè soli animali, impropriè urinæ, medicamento.

His suppositis, respondemus I. Præsentem quæstionem non esse de univoco univocato, sed de univoco univocante, & sic sensus illius est, utrum Ens prout est objectum adæquatum Metaphysicæ, seu sub illa ratione formali, sub qua consideratur in Metaphysica, ita habeat rationem superioris communis, ut ratio significata per ipsum nomen Ens, sit una & eadem.

Respondemus II. Ens respectu Dei, & creaturæ, substantiæ & accidentis, non esse purè univocum, nec purè æquivocum, sed analogum, & analogum quidem intrinsecum, quia descensus Entis ad inferiora, non est uniformis, cum priùs de uno dicatur, quàm de altero, & unum inferius participet rationem Entis dependentem ab alio, idque dependentia essentiali, cum creatura essentialiter à Deo dependeat, item Accidens à substantia, cuius esse est actu inesse. Univocum quidem nec Physicum, eò quòd ratio Entis resp. Dei & creaturæ, substantiæ & accidentis non contrahatur æqualiter, seu æquè perfectè ad ea, sed differentia perfectiori & imperfectiori: Nec univocum Metaphysicum, quia inferiora, licet participent rationem Entis inæqualiter, seu perfectiori & imperfectiori differentia, non tamen sine dependentia essentiali unius ab alio, quod tamen ad univocationem Metaphysicam requiritur.

Dicimus ergo Ens resp. Dei & creaturæ, substantiæ & accidentis esse Analogum Metaphysicum intrinsecum, in cuius inferioribus ratio analogia reperitur propriè & formaliter, cum dependentia tamen essentiali unius ab alio, & secundum hoc analogia non tantum habent idem nomen, sed secundum illud nomen, etiam unum conceptum, & unam rationem formalem, & definitionem;
Vnde

Vnde fit, ut Analogum hoc Metaphysicum intrinsecum, univocum saltem Logicum, non tamen purè univocum, quia ratio illa communis inæqualiter ab inferioribus participatur, dici possit; ad puram autem univocationem non requiritur dependentia essentialis unius inferioris ab alio, in qua nos rationem formalem analogorum positam esse existimamus. Atque hæc ita clara sunt, ut ei, qui hoc negotium, superius datis distinctionibus perspectis, non intelligat, præter helleborum remedii nihil superesse persuasum habeamus.

Nec sunt hic objectiones de Raconis, quæ contra hanc nostram assertionem, pondus aliquod habeant, quas tamen firmissimas, in quibus omnia adversariorum propugnacula convulsa, & funditus eversa sint, thraconicè somniatur Logicæ tract. II. p. 178. Ita philosophandi ansam nactus ex Suarezio Disp. Metaph. II. sect. II. pag. 49. quod tamen paulò inferius ipse solvit Suarez. p. 59. & sequentibus.

Ita autem cornua obvertit de Raconis: Ens respectu Dei & creaturæ, substantiæ & accidentis habet ea omnia, quæ ad perfectam rationem synonymi exiguntur: Ergo eorum resp. est verè & propriè synonymum. Antecedens probat: Entis nomen est commune Deo & creaturis, substantiæ, & accidenti; rationem verò tali nomine significatam eis communem esse, hoc modo convincitur: quia ratio Entis talis est, ut sit aliquid reale distinctum à nihilo, & independens ab omni cogitatione intellectus; Atqui talis ratio convenit tam Deo, quàm creaturæ, tam substantiæ, quàm accidenti, eò quòd sint Entia realia.

Verùm respondeo I. ad argumentum de Raconis. Præterquam quòd petit principium, ludere æquivocatione in termino univoci, dum univocum Logicum, cum univoco purè sic dicto confundat: Concedo nempe univoci esse Logici, habere idem nomen, & secundùm illud nomen, aliquam communem naturam participatam etiam cum dependentia unius inferioris ab alio: at nego hoc competere univoco purè sic dicto, quod requirit æqualitatem participationis superioris ab inferioribus, sine dependentia unius ab alio, ut superius. Univocationem Logicam sibi habeat, univocationem purè sic dictam nunquam obtinebit.

Respondeo II. Quæstionem hic esse de univoco puro, & propriè sic dicto, quod nos constituimus in æqualitate, & independentia unius inferioris ab alio: Ergo vel Raconem, cum suo univoco Logico ignorare Elenchum, vel si intelligat de purè univoco, ipsius argumenti negamus antecedens, & probationem ridiculam dicimus, quia fumum vendat, cum requisita perfectè univoci omittat, quæ nos ponimus independentiam, & æqualitatem participationis.

Respondeo III. In probatione argumenti de Raconis medium terminum, seu hæc verba, ratio Entis convenit tam Deo, quàm creaturis, tam substantiæ, quàm accidenti, esse ambigua. Vel enim absolutè sumpta nihil probant, cum tota quæstio de convenientia seu communicatione æquali à nobis instituat, in

qua nos rationem formalem univoci purè & propriè sic dicti ponimus: Vel si comparatè ad sua inferiora communicatio de æquali, & inæquali intelligatur, distinguimus: Eadem est ratio Entis in inferioribus specie & secundùm terminum realiter concedo, at secundùm participationem Entis nego; licèt autem ratio Entis comparatè ad inferiora esset una specie, per unitatem conformitatis, quæ inter ea invenitur, non tamen esset purè univoca, quia non est uniformis, eò quòd inferiora participant rationem Entis inæqualiter, & cum dependentia essentiali unius ab alio, quæ dependentia tollit puram univocationem, & constituit analogiam.

Sed instat de Raconis p. 179. Entis essentia omnino est æqualiter in omnibus inferioribus; quia nihil magis habet in uno, quàm in aliis, cum dicat unum gradum indivisibilem, & non ex multis gradibus compositum.

Respondeo I. Falsum esse Ens esse in inferioribus Deo, & creatura, substantia, & accidente æquale, cum contrahatur ad eà differentia perfectiori & imperfectiori; quæ differentia, cum intrinsecè ab Ente non distinguantur, utique Ens in inferioribus æquale esse non potest. Adde quod Divinæ Majestati est injurium, Entis rationem in Deo æquiparare Enti creato, cum in Deo esse sit per essentiam, in creaturis tantùm per participationem; in Deo enim esse eminenter in creaturis formaliter, quæ ni inæqualitatem in participatione Entis inferant, quid inferre possit non video.

Respondeo II. Indivisibile esse duplex. Absolutè, & secundùm quid. Absolutè, quod prorsus non potest dividi in plura, ut punctum: secundùm quid, cum quid, licèt divisibile, non potest ita dividi, ut maneat idem adæquatè cum se ipso indiviso secundùm rem & rationem, qui posterior tantùm modus, quoad indivisibilitatem Logicam, Enti convenire potest.

Postremò de Raconis probare conatur, ad puram univocationem independentiam essentialem non requiri hac ratione; quia quilibet habitus dependeat à facultate naturali, cui insidet: atqui facultati & habitibus qualitatem convenire univocè. E. ad rationem univoci non requiri independentiam.

Respondeo I. ad majorem: laborare eam homonymia in vocabulo dependere. Alia enim est dependentia essentialis, in participatione alicujus attributi; alia accidentalis ex subordinatione causarum. Sola autem dependentia hæc essentialis participati va unius alicujus attributi invehit analogiam; Dependentia autem effectus à causa, præterquam à prima, non essentialis, sed accidentalis est; ac proinde ratio Raconis ignorat Elenchum.

Respondeo II. falsum esse, qualitatem convenire facultati & habitibus univocè; Cum nempe facultates, sint proprietates rei, à qua intrinsecè non distinguuntur, qualitas de iis non nisi æquivocè prædicari potest.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An essentiæ rerum creatarum sint æternæ?

In negativam vergimus, cum acutissimo Derodone, qui thesibus de hac materia in lucem editis, & tractatu subtilissimo contra Atheos, p. 56. 57. Disputatione item de universali in communi, pag. 89. 90. & seq. solidissime, ut solidius viderim nihil, eam pertractat Rationes autem hæ sunt: I. Æternitas includit essentialiter durationem, & duratio includit essentialiter existentiam; at essentiæ rerum creatarum non habent existentiam ab æterno. Ergo essentiæ rerum creatarum non sunt æternæ. II. Essentia rei est ipsa res, cum res definiatur per existentiam. Sed res creatæ non sunt æternæ, ut omnes fatentur Orthodoxi, aliter enim dicere implicaret. Ergo essentiæ rerum non sunt æternæ. III. Æternitas positiva est attributum Dei incommunicabile creaturæ; Ergo essentia rerum creatarum æterna esse nequit. IV. Æternum est improductum; at essentiæ rerum creatarum non sunt improductæ; sic enim essent Entia à se, independentia ab omni alio, ac consequenter ipse Deus. Ergo essentiæ rerum creatarum non sunt æternæ. V. Si essentiæ rerum creatarum essent æternæ, sequeretur creaturas non esse factas ex nihilo, atque adeò non esse creatas; at creaturas non esse factas ex nihilo tam sui, quàm subjecti, atque adeò non esse creatas, hæreticum.

Ad hanc rationem excipiunt adversarii, omnia facta ex nihilo existentia, sed non ex nihilo essentiæ. Cui sufficienter respondet Suarezius Disput. XXXI. sect. II p. 159. Nos respondemus ratione sequenti.

VI. Essentia & existentia rerum creatarum realiter intrinsecè non distinguuntur. Ergo essentia non potest esse æterna sine existentia. Vi harum rationum perspecta, adversarii evadere conantur distinctione inter essentiam actualem & possibilem: & rationes has veras dicunt de essentia actuali, non autem de possibili; Essentiam nempe possibilem, seu possibilitatem essentiæ, non esse productam, & consequenter esse æternam.

Respondetur: Præter id, quòd essentiæ possibilitas dici debeat improducta negativè, non privativè, cum productio tantùm terminetur, nec aliter terminari possit, nisi in actualitate possibilitati opposita, (ignoscant Ciceroniani manes, si quid liberius delicatas eorum aures, philosophica obtundimus barbarie, audiant Scaligerum: Qua ratione vocabulis scholasticorum, licet barbaris, tempestivè uti nequeamus non video. Non enim in foro versamur, aut Romano consilio, sed in communi theatro sapientum, sub oculis veritatis, cujus suppellectilem atque apparatus, non tam nitidum, quàm opulentum esse decet. Scaliger Exercit. I. sect. 1, p. 3.) nec essentiam possibilem esse æternam, idque Logicè & Phy-

Physicé. Cùm enim possibile nihil aliud sit, quàm quod actu potest existere, certè si essentia possibilis esset æterna, sequeretur, essentiam posse actu existere ab æterno; at hoc esse non potest; sic nempe creaturæ essent æternæ, seu existerent ab æterno, cùm essentia rei sit ipsa res, at hoc absurdum. Si verò creaturæ non possunt existere ab æterno, illorum essentia actu non potest existere ab æterno, siquæ essentia creaturæ non est possibilis ab æterno.

Non quidem possibilitate Logica, cùm nempe illa sit in sola nonrepugnantia, seu noninvolutione prædicatorum contradictoriorum, sequitur eò ipso, quòd repugnet rei essentiam esse æternam, cùm omne Ens præter Deum repugnet esse ab æterno, ipsius possibilitatem, seu non repugnantiam non esse æternam. Non etiam Physica, quia si possibilitas Physica, id est, producibilitas rei esset æterna, res esset producibilis ab æterno, sicquæ posset existere ab æterno, quod absurdum.

Mitius paulò de hac possibili essentiarum æternitate statuunt, qui existimant, essentias illas, seu esse essentiæ ex parte creaturæ, antequam à Deo producantur, non esse aliquam rem distinctam à Deo, quæ sit simpliciter extra nihil, sed ex parte creaturæ, dicere tantùm aptitudinem quandam, seu potius non repugnantiam, ut in tali esse à Deo producantur; & in hoc distingui essentias rerum creaturarum, à rebus fictitiis, & impossibilibus Logicé; & hoc sensu dici creaturas habere reales essentias, etiamsi non existant, dici autem habere non actu, sed potestate, non per potentiam intrinsecam, sed extrinsecam creatoris, atque ita dici habere esse non in se, sed in causa sua, quòd ab æterno ab hac causa fuerint producibiles, sicquæ aliqua ratione æternas dici possent; quam sententiam Capreolo attribuit Suarezius Disp. Metaph. XXXI. sect. 2, p. 159.

Respondeo I. possibilem essentiarum æternitatem, à sola denominatione extrinseca causæ efficientis, nequaquam posse adstrui; cùm hoc modo essentiæ creaturarum abesse Dei non distinguantur; at essentia Dei non est creatura, seu creata, sed tantùm creatrix.

Respondeo II. Ab æterno dari possibilitatem rei in tempore, eò quòd ab æterno nulla repugnantia, aut contradictio sit assignabilis, ut res existat in tempore; at negamus dari possibilitatem, seu nonrepugnantiam ab æterno, essentias illas esse ab æterno, quia aliquid præter Deum, seu ab essentia Dei distinctum esse positivè æternum implicat contradictionem, ut dictum supra.

Respondet III. Acutissimus Derodon, distinguendum esse inter has duas propositiones; ab æterno res sunt, posibles, producibiles, aut factibiles, & res sunt posibles, producibiles & factibiles ab æterno. Priorem propositionem esse verã, modò explicetur hoc pacto: ab æterno res sunt posibles, producibiles, aut factibiles in tempore, id est, ab æterno non repugnat res esse, produci aut fieri in tempore, & verum est, dicere ab æterno, quòd res sint posibles, producibiles, aut factibiles in tempore. Posteriolem verò propositionem, scilicet res sunt possi-

possibiles, producibiles, & factibiles ab æterno, esse falsam, quia habet hunc sensum, res possunt existere, produci aut fieri ab æterno, quod contradictionem involvit.

Respondet IV. Derodon, tractatu in Atheos p. 57. hanc propositionem, essentialium rerum sunt possibiles ab æterno, vel essentialium rerum sunt in potentia ab æterno, duas pati explicationes: Nam si esse ab æterno dicatur de vocabulo potentia, propositionem esse veram, ejusque sensum talem esse, potentia productiva essentialium est ab æterno. Si verò referatur ad vocabulum essentialium, esse falsam, essentialium enim nec possunt, nec potuerunt esse ab æterno; & licet ab æterno essentialium fuerint possibiles pro tempore, non tamen pro æterno. Vide plura loco citato, tractatu in Atheos, & paginis aliquot sequentibus. Vide etiam hujus controversiæ explicationem, solidam & succinctam, apud Myllerum Metaph. lib. I, c. 3 p. 14. & 15.

QUÆSTIO III.

Andentur Entia rationis objectiva tantum?

Antequam ad quæstionis hujus progrediamur solutionem, sequentia, quo veritas ita clarior evadat, prænotabimus. Dicimus ergo I. Cùm Ens rationis dicatur ex habitudine, quam habet ad rationem, juxta diversas habitudines seu *quædam* varium est. Aliud enim in intellectu est subjectivè, & sic ei insunt, quæ in ipso sunt, sicut accidentia in subjecto, v. g. scientiæ & actus ejus, quia intellectui insunt, sicut albedo corpori. Aliud effectivè, sicut effectus in causa, quomodo ea, quæ per intellectum efficiuntur, ipsi inesse dicuntur; sic omnes actiones mentis, item artefacta pertinent ad mentem. - Aliud objectivè, quia nimirum ipse est objectum, seu ad intellectum sese habet admodum objecti, quia per cognitionem intellectus, intellectui aliquid actu objicitur; nam quia cognitio fit, quasi per attractionem rei cogniti ad cognoscentem, dicitur res cognita esse in cognoscente, non solum inheasive per suam imaginem, sed etiam objectivè, secundum se ipsam. Explicationem trium harum Entis rationis specierum, vide apud Suarezium Disp. Metaph. LIV. p. 701. Stahlium Metaph. p. 45. Heereboordium Disput. select. p. 686. Scheibl. Metaph. lib. I. cap. XXVII. p. 405. Derodonem Disp. de Ente rationis thes. 1. & 3. Burgersd. Metaph. p. 30. Myllerum Metaph. p. 44. Ens rationis objectivum Combachius vocat comparativum, quòd sit ex operatione comparativa intellectus Combachius Metaph. p. 143. & p. 149.

Dico II. Ens rationis effectivum, & subjectivum, à prædictis authoribus, qui tamen majori ex parte Entis rationis sunt patroni, haberi verum Ens reale, ratione intrinseci, quia ei competant affectiones Entis realis, scilicet unitas, veritas, bonitas. Heereboord. Disput. select. p. 686. Eadem mens est Suarezio loco ci-

tato. Myllero Metaph. p. 44. Burgersdicius propterea Entia realia dicenda putat, quòd habeant veram essentiam, & sint capacia veræ realisq; existentia. Metaph. p. 30. Et dici tantùm Entia rationis ab extrinsecis

Dico III. Eorum, quæ sunt objectivè in intellectu, quædam habere esse in se, id est, citra hoc quod cognoscuntur, habent vel habere possunt, verum esse reale, secundùm quod rationi obijciuntur; & hæc absolutè & simpliciter, non sunt verum Ens rationis, sed reale, quia hoc esse est quod simpliciter ac per se illis convenit, obijci autem rationi, est illis extrinsecum tantùm, & accidentarium. Quædam habent solùm esse objectivè, id est, præter hoc quod cognoscuntur, nullum habent esse, atque adeò totum eorum esse, nihil aliud est, quàm obijci intellectui, seu rationi de illis cogitanti, & hæc propriè imè vocantur Ens rationis, quia non habent alium nobiliorem, aut magis realem essendi modum, unde possunt Ens appellari. E. G. Quando aliquid cognosco secus quàm est, neque objectum ita se habet, sicut in intellectu repræsentatur, tunc tantùm est objectivè in intellectu, & vocatur Ens rationis, v. gr. si dicam, Deus est ligneus, affirmo inter Deum esse, & ligneum esse identitatem. Illa identitas est tantùm objectivè in intellectu, quia ego quidem concipio Deum esse ligneum, sed in se, & citra mentis operationem illa identitas nulla est, cùm impossibile sit aliquid simul esse Deum & ligneum. Et hæc dico ex hypothesi adversariorum; quia in nostra sententia, nihil potest concipi aliter, quàm est, nedum Deus ligneus, quia in intellectu involveret contradictionem, ut infra. Quando autem cognosco aliquid sicuti est, tunc illud non tantùm habet esse objectivum in intellectu, sed citra hoc, quòd objectum intellectus est, aliud esse habet, & sic nullum fit Ens rationis; ut, cùm dico, Deus est justus, mente percipio identitatem inter Deum & justum, vel justitiam, & sic identitas illa est objectivè in intellectu, sed præter illud esse objectivum, habet illa identitas, esse reale in se, quia Deus & justitia ejus, sunt idem citra mentis operationem, seu nemine id cogitante.

Dico IV. Ens rationis propriè sic dictum, à Philosophis definiri; quod habet tantùm esse objectivè in intellectu, & extra intellectum est purum nihil; seu esse id, quod à ratione cogitatur ut Ens, cùm tamen in se entitatem non habeat: Quod Thomas opuscul. 42. cap. 1. explicat. fieri tunc, quando intellectus nititur apprehendere quod non est, & ideo fingit illud aliquo modo ut Ens; vide Suarezium Disput. LIV. p. 702.

Dico V. Ens reale contradistinctum huic Enti rationis esse illud, quod existit, sive existere potest, nemine cogitante de ipso. Dixi quod existere potest, possibilitate scilicet Logica, quæ consistit in nonrepugnantia, seu noninvoluntione prædicatorum contradictoriorum, quòd tam Enti actu existenti, quàm Enti potentià convenit.

Dico V. Ens reale sumi interdum participialiter, id est, ut participium verbi esse, & significat existentiam, seu rem actu existentem; interdum nominaliter, id est,

est, vi nominis, & ut habetur pro nomine substantivo, & significat essentiam, seu rem excludentem prædicata contradictoria. Vide Hurtadum de Mendoza Disp. Metaph. II. sect. I.

Dico VII. Aliter hanc distinctionem tradi in Ens actu, & Ens potentia. Ens actu, quod actu existit. Potentiâ verò, quod quidem non actu existit, sed potest existere. Ens verò potentiâ, tale est vel potentiâ physicâ, vel Logicâ. Potentiâ physicâ, quod non actu existit, sed potest existere. Potentiâ Logicâ, quod non repugnat esse, sive actu existat, sive non.

Dico VIII. Ens reale esse tale, vel simpliciter & absolutè, vel tantum secundum quid; illud dicitur de Ente actu existente duntaxat: hoc verò etiam de non Ente actu existente, modò possit existere. Ex quo patet possibile physicè non esse Ens reale simpliciter & absolutè, sed tantum Ens reale diminutum & secundum quid; possibile verò Logicè, si actu existat, esse verè Ens reale, simpliciter & absolutè; at si actu non existat, esse tantum Ens reale diminutum, & secundum quid, contradistinctum Enti rationis superius definito, quod tantum habet esse objectivum in intellectu, & extra intellectum est purum nihil, seu involvens contradictionem. Hinc liquet possibile, seu Ens potentiâ posse esse nihil, aut non Ens purum, cum sit Ens diminutum, & secundum quid. Cum ergo Ens potentiâ sit reale saltem diminutum, Ens rationis objectivè tantum esse non potest.

Dico IX. Ex mente adversariorum ea, quæ habent esse objectivè tantum in intellectu duplicia esse; quædam enim licet actu esse non habeant, possunt tamen habere, ut si parietem, qui albus est; dicam esse nigrum, identitas inter huiusmodi parietem & nigrum ab intellectu concipitur, & sic est objectivè in intellectu, sed re ipsa non est actu, potest tamen esse, quia nihil repugnat parietem album fieri nigrum. Quædam verò ne habere quidem possunt aliud esse, & talis est identitas inter Deum & ligneum esse, quod cum contradictionem implicet, per nullam potentiam fieri potest. Ita refert Stahlius Metaph. p. 6.

His prænotatis respondeo: Cum objectum adæquatum intellectus sit Ens, & nihil possit concipere, nisi ad modum Entis, ut fuse explicat Suarezius Disp. Metaph. LIV. pag. 702. At verò Entia rationis objectiva tantum, esse positivum non habeant, neque habere possint, sed tantum habeant per hoc, quod sunt objectum intellectus, ex sententia adversariorum, & concipiantur per modum rerum, & formarum positivarum, cum tamen tales in seipsis revera esse non possint, nulla dari Entia rationis objectiva tantum, seu talia, quæ possint esse objectum intellectus citra esse in se, vel actu, vel potentia, constanter asserimus hoc argumento:

Si daretur Ens rationis objectivum tantum, tum vel conciperetur non Ens, tanquam Ens, vel unum Ens tanquam aliud Ens, vel impossibile ad modum possibilis. At nec potest concipi non Ens, tanquam Ens, nec unum Ens, tan-

quam aliud Ens, nec impossibile ad modum possibilis. Ergo non datur Ens rationis objectivum tantum Ratio consequentiæ: quia Ens rationis objectivum tantum, seu objectum intellectus, non potest esse Ens reale, nec actu, nec potentia, quia ita non haberet definitionem Entis rationis objectivi tantum, quæ est, ut tantum esse habeat per intellectum, & extra intellectum sit purum nihil. Quicquid ergo extra intellectum non est purum nihil, seu non involvit contradictionem illud Ens reale, si non simpliciter semper & absolutè, saltem diminutè, & secundum quid, ut patet ex superioribus. Cum igitur Ens rationis objectivum tantum, debeat nec esse, nec posse esse extra intellectum, seu independenter ab operatione intellectus, utique intellectus objectum, seu tale Ens rationis, debet esse unum Ens conceptum, tanquam aliud Ens, vel non-Ens, tanquam Ens, vel impossibile, ad modum possibilis.

Minor probatur: A. Non potest concipi non-Ens, tanquam Ens; I. Ita apprehenderetur in intellectu aliquid esse Ens, & non esse Ens; at apprehendi non potest, quia est simpliciter impossibile, cum idem non possit simul esse & non esse, sine contradictione: v. gr. Si privationes, puta tenebræ, apprehenderentur tanquam entia, apprehenderetur aliquid esse Ens, & esse non-Ens; Non-Ens quidem, cum privatio sit non-Ens; Ens verò, quia privatio apprehenderetur ut Ens. Quòd si in conceptu privationis tanquam Ens, dicatur concipi tantum Ens, non autem non-Ens, clarum est, non concipi privationem planè, quia illa est non-Ens, atque adeò non concipitur non-Ens tanquam Ens; quod enim aliquid apprehenditur, quod non designabatur apprehendendum, non apprehenditur illud, quod designabatur apprehendendum, sed apprehenditur aliquid aliud, idque in positivis entibus, multò magis in negativis, & privativis. II. Non-Ens planè non potest concipi, ergo non potest concipi ut Ens, quia quod concipitur habet sui speciem in intellectu, siquidem concipere est formare alicujus rei speciem in intellectu, sed non-Ens seu nihil non potest habere sui speciem in intellectu. E. &c.

B. Non potest concipi unum Ens tanquam aliud Ens; Sic enim non conciperetur res concipienda, sed aliquid aliud: e. g. Si quis velit apprehendere hominem, & apprehenderet asinum, ille nullo modo hominem, sed asinum conciperet & apprehenderet, atque adeò non conciperet hominem tanquam asinum, cum nullo modo apprehendat hominem, sed asinum.

C. Non potest concipi impossibile ad modum possibilis; Impossibile scilicet Logicè, quod consistit in repugnantia terminorum: tale nempe quia est purum nihil, non est verum, & quia non est verum, non est intelligibile, quia non est intelligibile, non potest concipi, quia non potest concipi, non potest esse Ens rationis. Non potest autem concipi, quia in intellectu involveret contradictionem; at quod involvit contradictionem, esse dicit non esse, cum unum destruat essentiam alterius. Ergo Intellectus meus non potest concipere, seu formare ideam

ideam equi rationalis, ob repugnantiam terminorum, eò quòd rationale destruat essentiam equi, & equus dicat irrationale, consequenter si possem concipere equum rationalem, irrationale conciperem rationale, & equum conciperem non equum, quod impossibile.

Summa; Aut concipitur possibile, aut impossibile. Si possibile, tum res concepta, non est Ens rationis objectivum tantum, quia independens est ab operatione intellectus, ut supra, & extra intellectum non est purum nihil, impossibile etiam non potest concipi, quia est purum nihil: At puri nihili idea in intellectu non datur; Ergo non potest concipi, & per consequens non potest esse Ens rationis.

Ex his patet, quid de Monte Aureo sentiendum, cum nempe is extra intellectum, non dicat purum nihil, seu non implicet contradictionem, utique possibile Logicum est; quod habere esse reale diminutum saltem & secundum quid, quo tamen ab Ente rationis objectivo tantum contradistinctui possit, ex superioribus dicto VIII. non est obscurum. Coronidem præstet illud Plautinum: quod satis est, satis est.

In medium ponant qui meliora tenent!

A N N E X A.

I.

Temerè hoc tempore finis mundi à quibusdam determinatè assignatur, quem tamen non procul abesse, ipsa à Sospitatore Christo prædicta signa latissimè præsagiunt.

II.

Fontium originem non in pluviiis, nec in aëre, sed in mari asserimus.

III.

De numero stellarum Astrologi multa speciosè opinantur, nihil tamen certi statuere possunt.

IV.

Nullas dari qualitates occultas, quarum origo à priori demonstrari possit, in sensu conjuncto asserimus, sensum divisum Sperlingio & sequacibus concedentes.

V.

Affertio materia prima ex mutua transmutatione elementorum in se invicem, probat dubium per aequè dubium, imò falsum per aequè, vel magis falsum.

VI.

Ter tria non sunt novem.

VII.

Mas & fœmina non differunt specie, proinde qui mulieres homines esse negant, homines sunt non homines.

VIII.

Una numero vox ne à duobus quidem audiri potest, nec ab unius utraque aure.

IX.

Is verè est Philosophus, non qui Aristotelis, vel cujusvis alius mentem, sed qui ipsas rerum naturas & essentias cognoscendo penetrat.

Μόνω τῷ Θεῷ δόξα.

I.

Acclamatio Amicorum :

Genio & Ingenio florentissimo juveni Viro

DN. CASPARO WYSSIO,

Affertori Disputationis solertissimo, magno Amore concepta, & harmonica voce emissa.

FAta Deusque sinunt : paullo majora canamus :
Heic juvat alternis concinuisse Choris.

WYSSIUS ille placet juvenes cantate Poetę,
Natus Castalidum, candidus ingenio.

Plaudite Vos omnes : nam tanta scientia WyssI
Dignior est omni Carmine, Voce, Stylo.

Hęc cecinisse, sat est : Mihi Wyssius ille placebit ;
Incipiant alii : Pausa filerè monet.

Affinitatis ergò ita plaudit

IOHANNES PÆSIUS, V.D.M &
Cantor ordinarius.

II.
CASPARUS WYSSIUS

Ἀναγρᾶμμα. ἰζόμεν.

Sic is uva pura Suis.

1.

Cum generosa suo pubescit Vineæ fœtu,
Purpureæ; curvo Saturni dente resectæ;
Dant uva Nectar Cultori dulce Lyæi.
Tu quia Pierij complex carchesia Phæbi
Nectare Doctrinæ, Musarum nobilis Uva,
Talia verba refert de Te Φιλόμοσος Achates:
Sic Is pura Suis uva est, sic Succus amatus,
Sic Tiguro decori magno, ut sunt vitibus Uva.

2.

Is suavis cursu apis.

Prata, Semiramios hortos, sylvasque per agras
Et cursu celeri, & murmure suavis apis,
Purpureumque metit Narcissum, Lilia lambit,
Et Violas libat, gustat opesque Rosæ:
Indeque pergrato distendit Nectare cellas,
Cultorique suo dulcia mella parat.
Suavis apis cursu est, volitans per amœna Roseta,
Gratior & multo Cecropiis apibus,
Qui per Natura flores volat altus eburnos,
Qui miranda Soli conspicit atque Poli.
Notitiæq; favos constipat Nectare dulci,
Artibus Aoniis ora referta ferens.
Sic legis, en Wyssi, Nectar de vertice Cirrhæ,
Vincis & Hybleas sedulitate Tua:
Hinc de Te merito mittunt hanc pectore vocem,
Qui Tua, quæ fundis, Thespia mella vident:

Sua-

Suavis apis cursu Is, nam currit ut optima fingat
Doctrinae mella, & compleat Arte favos.
Perge ita: sic clarus rutilus evadere squamis
Mox poteris, gravidas ut Maro laudat apes.

εἰς Φιλίας τεκμήριον Ρ.

Joh. Conradus Heideggerus,
S. Theolog. Cand.

III.

MARS PHILOSOPHICUS.

TERRAS jam dudum ferro populatur & igni
Bellipotens Mavors, cristata caeside cinctus;
Quaque patet tellus vitreo circumfusa Ponto
Classica saxa tonant, Tarantara dira cientur,
Horridus exigitur per viscera faucibus mucro,
Luctus ubique, nigrae & quam plurima mortis imago est.
Gradivus tremulum vacors sic concutit orbem.
Haud multum pugna est Bellonam mitior istam,
Ad quam conclamat lituisque tubaque crepante
Effrons turba Sophum, cui mens & cornea fibra est.
Haud equidem heic fuso pinguescunt sanguine campi,
Haud Martis pulli portant in bella bipennes,
Loricam haud miles ventri succingit atrocem,
Haudque Thraaso creperus sua spicula lucida tergit
Arvinam pingui, nec manant stagna cruore.
Alter in alterius sed rumpit nomen habenis
Laxatis mordax, non hospes ab hospite tutus.
Figere discipulus Doctore tentat ocellum,
Et placita inflectit tyro veneranda Magistri.
Indus, Arabs, Syrus, ac Theuton, recutitur apella
Hoc pallent morbo, hac sudant praecordia culpa.

Am-

Ambiguis Mars est, nec fas heic dicere verum,
Sed multò præstant ægri figmenta cerebri,
Quæis Troili vires audax supplantat Achilles.
Pauper Aristoteles olim Phaetontis ad instar
Ad Solem euectus, folio decussus ab alto
Cogitur ire pedes, verbenas porgere myrtis;
Hunc rodunt mures, milvi corviq̄ue voraces
Huic aquilæ obclangunt, odio instigante scelesto;
Exhaustus vigor est, macron non corpore succus
Ullus inest, miser est, cutis ac vix ossibus hæret.
Dogmata sana simul somno moriuntur obeso.
Et puer heic nasum vult Rhinocerotis habere,
Qui jacet in cunis, nec demorsos sapit ungues.
Heic audeto aliquid gyaris & carcere dignum,
Si vis esse aliquis, probitas frigescit & alget,
Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.
Dixeris Harpyias Sophiæ mala cuncta dedisse,
Inque omnes orci prolem se didere terras.
Sed pereat, cuicumque placet phanaticus error,
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem;
Prælia dira Sophûm vadant Acherontis ad umbras,
Ambitio cineres Cocyti quæsitet imi.
Constet honos Sophiæ, mitis concordia regnet!

Sed mihi cur tantâ siccum jecur ardeat irâ,
Inquiras, WYSSI, juvenum flos, laudis Ephœbe?
Devia confector, Satyri en latitare sub umbra
Conor & umbone hoc, quia non mihi lactea vena
Sustinet in laudes manare tuas, nec Apollo
Consultus mihi pleetra dedit, conatibus impar
Musa tuis hæc est, tanta sub mole fatiscit.
Maecte gravi studio, maecte immortalibus orsis

VI.

Epigramma
Jambico-reciprocum.

Micent nitore tecta sublimi aurea,
 Domus labore structa Carum & splendeat:
 Magis quieta bella, Musa heroides
 Nitent, amore quovis humano acrius.
 Struit amore junctus almo has Wyssius
 Theses; canora Musa fertum ac construet,
 Dabit Minerva prima laudem Aonidum
 Tibi, diserta turba, Musarum optima.
 Viam juvante vade Clio hanc sapius,
 Scies suprema quæque doctrina omnia.

In perpetuum ἀνεπίκτητος Φιλίας
 μνημόσων scripsit

HENRICUS WYSSIIUS,
 Tigurinus.

VII.

GLoria magna sat est, & opis non indiga nostræ,
 Ipsum laudat opus quemlibet artificem.
 Dignus es, ô Wyssi, caput Attica necat oliva,
 Cervicemque tegat digna corolla tuam.
 Hic fructus studii, vigilatorumque laborum,
 Præditus hic quo sis munere nempe patet.
 Ipse Deus faveat facilis sublimibus ausis,
 Dignaque pro meritis præmia ferre sinat.

Amicitia nunquam intermoritura
 Symbolon

SOLOMONIS PEIERI, Philosophiæ Studiosi,
 Helvetio-Schaphusiani,

VIII.

NEc Musa posset dicere :
beatè Vena fluxit.

*Quid ergo? Rorat carmina
 in Corde, non in venis.*

*Deabus ille VVTSSIUS
 vel Phœbus est, vel fallit.*

*Probatur forma Corporis,
 et Mentis, his Deabus.*

*Sed prodit his Amoribus,
 quod nos latere nolunt.*

*Itâne, FLOS amabilis,
 DEAS amare nôsti?*

*Id jure juro : Vatibus
 hic ardor est canendus.*

*Canemus : Vivat VVTSSIUS,
 et turba dicat : AMEN.*

Scriptit amanter:

JACOBUS HOZIUS,
 Philos. Stud. Tigurinus.

F I N I S.

△ I D
 Pfgt. III